



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus XXXII. De Sententia Et Re Judicata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

TITULUS XXXII.

DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.

Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 27. In Sext. Tit. 14. in Clem. Tit. II.

§. 426.

*Senten-
tia*

AUDIRIS Probationibus, earumque elisionibus, tandem partes in causa concludunt, & ulterioribus renuntiant; vel, ne lis in infinitum trahatur, Judex ex officio causam pro conclusa habet. Pars ea, quæ primum conclusionem facit, conditionem vel exprimit, vel subintelligere censetur, *nisi quid novi* emerferit, aut ab adversario proferatur. Item apponitur sæpe clausula oblationis, *si quid facti* &c. cujus vigore sæpe Conclusiones in Camera rescinduntur, & ulterior probatio facti, quod in Actis allegatum, sed sufficienter probatum non est, injungitur: quia virtute dictæ clausulæ Judicis Officium imploratum censetur; unde illud merito impartiri debet 91.). *Judici autem nunquam*
con-

91.) L. un. C. ut quæ defunt advocat. &c. GAIL lib. I. obs. 107. n. 9.

concluditur : is enim semper potest petere declarationem obscure dictorum , vel supplere defectum Juris. Omnibus igitur, quæ utrinque producta sunt, mature & impartiali animo ponderatis, Judex fert sententiam, quo nomine intelligitur *Pronuntiatio Judicis, qua controversia judicialis definitur.*

§. 427. Alia est *Interlocutoria*, quam fecit Judex inter principium causæ, & sententiam definitivam super dubio emergente, vel incidente: alia est *Definitiva*, quæ principalem controversiam in Judicium deductam determinat, Reumque vel absolvit, vel condemnat, & per hoc primam instantiam terminat. Datur etiam inter utramque aliqua media, scilicet *Interlocutoria* habens vim definitivæ, quæ quidem directe respicit quæstionem incidentem, indirecte tamen attingit causam principalem: fit istud, quando partes absolvuntur ab observatione judicii; vel quando Reo defertur juramentum, aut pronuntiatur, Judicem non esse competentem. Sententia definitiva in *Causis Civilibus* est vel *condemnatoria*, vel *absolutoria* a petitione

Alia Interlocutoria, alia Definitiva:

titione Actoris: in Causis Criminalibus quando accusatus reperitur criminis reus, sententia vel est *condemnatoria* condemnans Reum ad pœnam; vel *Declaratoria*, qua declaratur a Judice, quod Reus commiserit crimen, cui pœna latæ sententiæ, seu ipso facto incurfa, statuitur a Jure.

Certa, & absoluta: §. 428. Sententia debet esse *certa*, quantum materia in Judicium deducta patitur: certum enim non potest adjudicari in Judiciis universalibus, petitione hæreditatis; & generalibus, scilicet dotis, tutelæ, fructuum, usurarum, accessionum, expensarum: de his enim certitudo ex Actis non potest semper haberi: sæpe autem satis certa est sententia, per relationem ad aliud, ad libellum, ad Acta, ad positiones, ad locum, tempus, quantitatem prius determinatam. Ulterius debet esse *absoluta*, non conditionalis, nisi sit *conditio facti*, quæ non requirit per se cognitionem causæ ulterio-rem, uti si juraverit Actor, si Reus se juramento purgaverit, si Actor ex sua parte satisfecerit contractui. Hæ enim conditiones, modo impleantur, non requirunt ulteriorem causæ cogni-
tio-

tionem, proin sententia ejusmodi conditionem continens, omnino est definitiva, scilicet finem causæ imponens. Si autem adjiciatur conditio, si probaverit, sententia vix potest dici definitiva, cum necessario requirat ulteriorem cognitionem & novam sententiam, quia Judicis est decidere, an allatæ probationes sint legitimæ & convincentes. Unde talem sententiam, utpote in Jure non fundatam, multi rejiciunt: experimur autem, eam pronuntiandi formam passim adhiberi & tolerari in causis levioris momenti, vel quando Sententia concipitur in loco quodam remoto.

§. 429. Debet Sententia etiam esse *Justa & conformis libello.* *Justa* scilicet & Legibus, & juri partium litigantium conformis: injusta vicissim est, quæ est contraria juri litigantis, vel etiam Juri Constitutionis, id est, si Judex pronuntiat contra Leges certas & claras, ac si non daretur obligatio sequendi has Constitutiones, E. G. minorem non esse restituendum, Electionem a suspensis factam subsistere. Talis sententia ipso jure est invalida: quæ autem est contra jus partis, valida censetur, sed tamen

tamen appellationem admittit. Præterea debet esse conformis libello, quem Actor initio litis obtulit, adjudicando scilicet ea, quæ Actor expresse vel tacite petit, modo æquitatem causæ agnoscat Judex. Regulam de conformitate Sententiæ cum libello popularibus erroribus adnumerat LEYSERUS 92.), cui facile assentior, si nihil velimus permittere æquitati seu prudentiæ Judicis. Unde si Actor in libello inepte aliquid petiisset, vel expressisset ineptam actionem, ex narratis tamen & probatis appareat, aliam actionem institui, aut aliam petitionem fieri potuisse; virtute Clausulæ salutaris, qua sibi jus & Justitiam administrari petit, potest Judex ineptam petitionem ab Actore propositam prætereundo, ex aptiore actione Reum condemnare, vel in id condemnare, quod Actor petere potuisset 93.), quia id saltem tacite petiisse censetur. Si autem sententia sit plane contra petita, ea nulla est, ut si petitio in actione injuriarum sit civilis, sententia autem criminalis 94.).

§. 430.

92.) Vol. 7. specim. 468.

93.) BRUNNEMAN de Processu c. 27. n. 18.

94.) MEVIUS p. I. decis. 181.

§. 430. Rationes decidendi Judex *Rationes*
non solet, nec tenetur adjuicare Sen- *deciden-*
tentiae, nec id regulariter consultum *di an Ju-*
esse, communis opinio & praxis do- *dex te-*
cet. Nihilominus suaderur, ut id sal- *neatur*
tem in charta separata fiat, si Judex *edere?*
sententiam ferat, reformatariam unius
aut omnino duarum instantiarum, ne
temere recessisse videatur ab aliorum
Judicum sententiis, forte ex privatis ra-
tionibus non adeo laudandis: paratas
certe decet habere rationes decidendi,
ut exhiberi possint superiori Judici,
ad quem appellatur, vel etiam Supre-
mo Principi, ut iste videat, an locus
sit gratiae, ad quam forte recurritur
95.). An autem ejusmodi rationes
decidendi edendae sint partibus peten-
M m tibus,

95.) BRUNNEMAN loc. cit. n. 20. refert,
Facultatem Juridicam Ingolstadianam,
dum a duabus sententiis recedebat, eos-
que reformabat, addidisse in peculiari
charta rationes praegnantas, ne temere
recessisse videretur. Nescio, an istud il-
lo tempore tanquam aliquid singulare
videri debuerit: hoc enim tempore com-
mune id est omnibus Facultatibus Juri-
dicarum Responsis, ut decisionibus suis
in charta separata adjiciant rationes du-
bitandi & decidendi.

De Judiciis.

tibus, dependet plurimum ex Statu-
tis diversarum Provinciarum. Pro ab-
breviandis litibus valde laudandus est
mos quorundam Tribunalium, ubi
Judex, si pars condemnata petat, ra-
tiones decidendi semper communica-
re debet 96.). Nam inprimis ipsi Ju-
dices redduntur cautiores in ferendis
sententiis. Dein etiam pars condem-
nata facilius acquiescet sententiæ,
cum sine hac editione rationum, cre-
dat, se condemnatam esse ex rationi-
bus ab adversa parte propositis sæpe
ineptis, quibus tamen Judex non in-
hæret post examinata causarum me-
rita. Quotidiana constat experientia,
quod partes per totum plurium In-
stantiarum Processum non sciant, ex
quibus rationibus absolutæ vel con-
demnatæ fuerint. Sic prolongantur li-
tes, multiplicantur & ineptiis ad rem
non pertinentibus ad nauseam infar-
ciuntur libelli, traducuntur Judices, &
integra Tribunalia exponuntur iniquis
crisibus eorum, quibus causæ merita
igno-

96.) Auditores Rotæ Romanæ ad id ad-
stringuntur ex Constit. PII IV. in Thro-
no *Justitia*. §. 8. Vid. Ill. Baro de Cra-
mer Nebenstunden part. 40. art. 8.

ignota sunt. Si sufficiens ratio decidendi extiterit, expressione ejus amputantur lites : si ambigua ratio Judicem moverit, reformationem sententiæ suæ horrere non debet. Popiniano Viro summo non est dedecori, quod aliqua ejus decisio reformata fuerit 97.). Mihi non sumo auctoritatem improbandi consuetudinem hodiernam occultandi rationes decidendi coram partibus : nec tamen patior mihi imponi necessitatem valde approbandi eandem consuetudinem.

§. 431. Sententia rite concepta, *Sententia publica* nomine Judicis publicanda est, citatis ad eam audiendam partibus. Ubi *publicanda ex scripto :* generalis citatio ad totam causam recepta est, hæc specialis citatio ad audiendam sententiam non requiritur. Quamvis aliæ formalitates in publicanda sententia facile negligi possint 98.) ; in scriptis tamen semper fieri deberet, etiam in causis Summariis, nisi sint lites breves, leves, & vilium personarum: sententia enim est irrevocabilis, & error facile com-

M m 2 mit-

97.) L. ult. §. 3. C. de furtis.

98.) Juxta Clement. 2. de Verb. signif. potest Judex proferre sententiam, *pro- ut magis sibi placuerit, stans vel sedens.*

mitti posset, si non ex concepta scriptura pronuntietur. Declarare tamen sententiam, cujus aliqua verba videntur obscura vel ambigua, parte utraque citata, potest Judex, qui eam protulit, modo nihil addat, vel diminuat; declaratione autem pendente non currunt fatalia: potest etiam sententia super accessoriis, si Judex eorum non fecit mentionem, eodem die suppleri 99.), quia accessoria, uti fructus, expensæ & similia, potestate in sententia continentur. 100.).

*Facit Jus
inter partes:*

§. 432. Effectus Sententiæ est, quod jus faciat inter partes, quod Princeps auferre non potest, licet condemnatum restituere possit ad causam denuo cognoscendam. Appellare tamen ad altius Tribunal licet, intra tempus a Legibus præfinitum, ut dicetur infra de Appellationibus. Elapsis his fatalibus Sententia transit in rem judicatam, ex qua oritur Actio & Exceptio in favorem illius, pro quo lata est sententia, exceptis causis matrimonialibus, ubi agitur de vinculo matrimonii; & forte quibus-

99.) L. 42. ff. de Re judic.

100.) L. 35. §. 1. ff. de Rei vindic.

busdam aliis, de quibus supra de Inspectione oculari. In genere omnis sententia, manifesta nullitate laborans, nunquam transit in rem judicatum: lapsu tamen triginta annorum sanatur hæc nullitas, quia eo temporis spatio omne jus agendi exspirat. Exceptio autem rei judicatæ est peremptoria, & impedit litis ingressum, habetque paratam executionem: requiritur tamen identitas personæ, rei & causæ & actionis. Unde si pars petat totum, & condemnetur, postea petenti partem obstabit exceptio rei judicatæ, si tamen ex eadem causa petatur. Item Reo absoluto, quia non possidebat, non competit exceptio rei judicatæ, si postea constitutatur, seu efficiatur possessor; quia nova causa supervenit, scilicet possessio 1.). Potest hæc exceptio etiam opponi coram alio Judice: nihilominus sententia in foro seculari juxta Leges Civiles lata, nonnunquam improbatur in foro Ecclesiastico, uti de usuris, de præscriptione cum mala fide, de tolerantia Exercitii Reli-

M m 3 gionis

1.) Vid. GONZALEZ ad c. 13. de Except.
n. 5. seqq.

gionis acatholici juxta Pacem Westphalicam.

Aliis nec prodest, nec nocet regulariter; §. 433. Sententia jus quidem facit inter partes; *aliis* tamen, qui in judicio non adfuerunt, nocere aut prodesse regulariter non potest 2.). *Alius* autem non censetur, cujus mandato Procurator agit, vel cujus causam Lex ipsa alteri committit. Unde Sententia lata in Procuratorem vel Tutorem, nocet vel prodest mandanti, vel pupillo. In casu, quo duo fratres duxerant duas sorores, & unius matrimonium judicatum fuit invalidum ob consanguinitatis impedimentum; alter frater agnovit quidem se obligatum ad sollicitè inquirendum de valore sui matrimonii; nihilominus hac sententia contra matrimonium sui fratris lata, cujus rationes non sciebat, non absterritus fuit ab usu matrimonii sui, cum tamen idem impedimentum consanguinitatis obstare debuisset sibi, quod obstabat fratri, cum utriusque conjuges fuerint germanæ sorores: credebat enim Judicem falsis probationibus inductum, & fratrem male defendisse causam suam.

2.) L. 2. C. quib. res judic. non noc.

suam. Testamentum cuiusdam impugnabat proximus Agnatus, seque heredem ab intestato pronuntiari petiit, & obtinuit: alter Agnatus eodem gradu conjunctus defuncto, sibi prodesse hanc sententiam sperabat, cum rejecto testamento, idem jus succedendi ab intestato sibi competeret: sed in summo Tribunali pronuntiatum fuit, sententiam prodesse soli Actori, pro quo lata fuerat 3.).

§. 434. Nocet tamen Sententia ter-^{Excipiun-}
tio, qui cum sibi primum compete-^{tur aliqui}
ret actio, patitur tamen alterum age-^{casus.}
re; sententia enim contra hunc actorem lata, nocebit illi tertio. Sic si maritus sciat, socerum vel uxorem de proprietate rerum dotalium constante matrimonio agere, nocebit marito sententia contra socerum vel uxorem lata. Item sententia lata contra heredem præjudicat Legatariis, Fidei-

M m 4

com-

3.) Aliud exemplum supra relatam fuit Tit. De Probationibus §. 295. ubi filiis non debuit nocere sententia olim contra matrem lata. De hoc effectu rei judicæ vid. C. 25. de sent. & re judic. item GONZALEZ ibid. STRYCKIUS Dissert. Hallenf. Vol. 2. disp. 33. BRUNNEMAN in L. sæpe. penult. ff. de re judic. & L. 25. ff. de statu hom.

commiffariis, nisi hæres colludat, vel negligens sit in jure suo defendendo. Univerſim res contra aliquem judicata nocet, ac prodeſt omnibus iis, qui poſtea jus ab illo confeſuti ſunt. Hinc creditor hypothecarius res omnes contra debitorem, priuſquam is rem pignori dediffet, judicatas agnoſcere cogitur. Econtra ſi debitor poſt conſtitutum pignus ſuccubuit, creditori non nocet, niſi ſciverit atque paſſus ſit, debitorem agere. Sic etiam res contra dominum directum judicata, domino utili nocet, ſi hic illum experiri paſſus ſit. Inſuper quoties duorum jura ita connexa ſunt, ut alterum ex altero pendeat, atque unus ex his ſolus in judicio agit, tunc res contra hunc judicata alteri non aliter præjudicat, quam ſi is judicium acceptum ſcivit, & tacuit. Unde res contra conſortem litis judicata ad alterum litis conſortem non pertinet, niſi alter, altero ſciente & permittente communi nomine litigaverit 4.).

*Res judi-
cata*

§. 435. Ex dictis patet, maximam eſſe vim & autoritatem ſententiæ, quæ omiſſa Appellatione in rem judicatam tran-

4.) Vid. LEXSER Vol. 7. ſpec. 472. med. I. ſeq.

transiit, & merito quidem: *quæ enim, ut eleganter discurret CASSIODORUS 5.), dabitur discordantibus pax, si nec legitimis sententiis acquiescitur? unus enim inter procellas humanas portus instructus est, quem si homines fervida voluntate prætereunt, in undosis jurgiis semper errabunt... cogi debet ut sit quietus, qui suo vitio renuit esse pacificus.* Dubium tamen movetur, an Res judicata non solum pro foro externo, sed etiam in conscientia locum habeat, ita ut ille, qui debitum bona fide negavit, & a Judice quoque absolutus fuit, non teneatur, postquam sententia in rem judicatam transiit, ad solutionem præstandam, quando ex reperto instrumento clare agnoscit, se debitorem fuisse. In utramque partem stant graves Autores. Mihi videtur, rem judicatam solummodo spectare forum externum; proinmanere obligationem naturalem solvendi, quamvis a debito bona fide liberationem in judicio petierit, & obtinuerit: *licet enim absolutus sit, natura tamen debitor permanet 6.).* Nam sententia Judicis fundatur in præsumptione

M m 5 ptione

5.) Variar. lib. 1. epist. 5.

6.) L. 60. princ. ff. de condict. indeb.

ptione justitiæ 7.) : præsumptio autem cedit veritati 8.) : unde constitutum est , ut commodatario , si rei sibi commodatæ & perditæ pretium domino dederit , re postea in domini potestatem redacta , aut hæc aut pretium reddatur 9.) : idem alibi de fulone aut sartore statuitur 10.) . Et INNOCENTIUS III. jubet , ut restituantur ablata prætextu furti , de quo ipsi modo reperti sunt innocentes 11.) . Ratio est universalis , quia *jure naturæ æquum est , neminem cum alterius detrimento fieri locupletiores* 12.) .

Non semper habet vim in conscientia. §. 436. Huic juri naturæ non obstant Leges , quæ rei judicatæ vim tribuunt ex ea ratione , ut demum sit finis litium , & tribunalia non obruantur repetitis litibus 13.) : hæc ratio spectat solum forum externum & quietem

7.) *Pro his , quæ a Judice sunt acta , præsumitur.* C. 23. de Elect. Sententia , quæ præsumitur rite per omnia celebrata. C. 13. de sent. & re jud.

8.) L. 24. & 25. ff. de Probat.

9.) L. 17. §. 5. ff. Commodati.

10.) L. 2. ff. de condict. sine causa.

11.) C. 2. de purgat. vulg.

12.) L. 206. ff. de R. J. & C. 48. eod. in 6.

13.) L. 2. C. de Re judic.

tem tribunalium, nec immutat obligationem naturalem. Aliæ Leges aliud non evincunt, quam quod res iudicata pro veritate accipiatur *in dubio*; quod solutum ex causa iudicati repetere quis non possit *in foro externo*; quod res iudicata æquiparetur transactioni, quia utraque impedit contestationem litis. Nec plus evincit paritas cum Præscriptione; nam huic vim pro foro interno concessam esse multi tenent, non solum ad obtinendam quietem tribunalium, sed ad omnimodam securitatem possessorum, & id quidem prævio titulo, accedente longi temporis possessione, & aliis requisitis; cum tamen res iudicata omnem suam vim obtineret mox post decem dies &c. 14.). Dein paritas cum Præscriptione parum me movet, cum etiam Præscriptioni tantam vim in foro conscientia tribuere nolim (15.).

§. 437. Per Sententiam etiam de-*Victus*
finitur, cui parti incumbant Expen-*condem-*
sæ *natur re-*
gulariter
in expen-
sa s litis:

14.) Plura videri possunt apud P. PLACI-
DUM BÖCKN ad tit. de sent. & re iudic.
n. 13. seqq.

15.) De Jur. rer. Eccles. Sect. 4. §. 576.
seqq.

factæ in litem factæ: interlocutione quidem id fit pendente lite ob contumaciam, vel ob retardatum Processum, ita ut non audiatur contumax, nisi expensas restituerit: per definitivam autem in fine litis regulariter victus in Expensas condemnatur, quæ vocari solent *Expensæ Victoriæ* 16.). Excipitur, si vel mutua fuerit collitigantium victoria, quæ expensarum compensationi locum faciat, vel justam litigandi causam habuisse videatur, qui victus est: quo ultimo casu aliqui observant, non debere Judicem pronuntiare, compensandas esse expensas; sed potius, nullum expensarum condemnationi locum esse 17.): vulgo tamen contra hanc scrupulosam observationem, usitata est phrasis, *ex rationibus animum moventibus expensas esse compensandas*. Id melius advertunt multi, crebram Expensarum compensationem in causa esse, cur malitia & temeritas litigantium quotidie exerceat. Igitur eum quem temere *Adversarium suum in iudicium vocasse constitit, viatica,*

16.) L. 13. §. 6. C. de Judic.

17.) ANT. FABER de Errorib. Pragmatic.
Decad. 19. Error. 6.

tica, litisque sumptus Adversario suo red-
dere oportebit 18.) Nec opus est, ut
id fiat ex malitia & dolose; sed suffi-
cit, si quis inconsulte absque proba-
bili causa litem suscipiat: hac enim ra-
tione culpa committitur, in cuius pœ-
nam condemnatio in Expensas locum
habet. In causis secundæ Instantiæ
præsumptio, quæ pugnat pro prima
sententia, appellatum regulariter a
temeritate excusat: unde appellatus
non potest condemnari in expensas
tanquam temerarius litigator, si suc-
cumbat: Appellans autem, si solum
ex actis primæ Instantiæ condemne-
tur, potest etiam condemnari in Ex-
pensas.

§. 438. Expensæ litis, seu quæ oc-
casionē litis fiunt, subdividuntur in
Judiciales & Extrajudiciales. *Judicia-*
les dicuntur, quæ fiunt in citationes,
Protocollum, examen testium, ex-
tractiones scripturarum, & similia,
de quibus constat ex Actis & apochis
Notariorum. Extrajudiciales sunt, quæ
fiunt in itinera, viatica, mercedes seu
honoraria Advocati, Solicitatoris, quæ
non habent certam taxationem secun-
dum

*Sape nec
in Judi-
ciales, nec
in Ex-
trajudi-
ciales.*

18.) L. 79. pr. ff. de Judiciis.

dum rigorem juris 19.). *Judiciales*, terminato Judicio, reficiuntur in Romana Curia per victum victori, & quidem integraliter & absque ulla diminutione, etiamsi victus habuerit justam causam litigandi: qui rigor in nostris partibus passim non observatur, ubi quotidie deciduntur causæ *compensatis expensis*. *Extrajudiciales* autem expensæ non imponuntur, nisi temerariis & fraudulentis litigatoribus, vel qui per attentata, violentiam, spolium, falsificata Instrumenta, aut alia damnabili ratione causam liti dederunt. Istæ integre reficiuntur tanquam damna & interesse, quatenus respiciunt pure & simpliciter attentata, non autem merita causæ. Expensæ pro Responsis Jurisconsultorum, ad quos Acta transmissa sunt feruntur a parte petente: si petantur ex consensu utriusque partis, communibus partium

19.) *Taxa Notariorum & Officialium* Almæ Urbis habetur apud RIDOLPHINE PRAX. fol. 703. Expensæ in Camera Imperiali recensentur apud GILHAUSEN Arbor. Judic. c. 9. fol. 559. De his agitur in Con. Ord. Cam. p. 3. tit. 59. In singulis Tribunalibus haberi solet certa *Taxa*.

tum sumptibus id fieri debet: si Judex vel labori, vel invidiæ se subtrahens, vel ad expediendum nodum aliquem, cui ipse non sufficit, Acta transmittit ad impartialis, debet ipse expensas præstare ex eo fundo, qui pro administratione Justitiæ est deputatus, vel ex oculis propriis. Si autem ex rationabili causa, utriusque partis interesse credit, ut ex officio Acta transmittantur, expensas feret utraque pars æqualiter. Refici autem non debent expensæ superfluxæ & voluntariæ, etiam factæ contra attentantem: neque etiam damna externa per accidens evenientia, uti si quis in itinere spoliatur, aut equus pereat 20.). Qui postulat in propria causa, salarium pro opera non potest petere, nisi propter eam causam debuisset negligere aliorum clientum causas.

§. 439. Quæstio agitur, an victo *Cui incumbant* Expensæ, si lis jurejurando deciditur? Intelligitur hæc quæstio *Expende* iis tantum tribunalibus, ubi *teme- se, si lis* *re decidi-* *tur jure-*

20.) Plura vid. apud OCTAVIAN. VERSTRUM lib. 8. c. 2. TUSCHUM Lit. E. *jurando* concl. 626. LAUTERBACH. disp. 80. de *delato a* Expensis litis. BRUNNEMAN Decis. 46. *parte;* CARPZOV. p. 1. Const. 31. def. 30.

re litigantes in Expensas condemna-
 ri solent. Distingui solet inter Ju-
 ramentum ab Adversario delatum,
 vel relatum; & inter Juramentum
 a Judice in supplementum proba-
 tionis impositum. In priori casu,
 si quis jurante Adversario vincatur,
 non erit obnoxius expensarum con-
 demnationi, utpote quæ temere liti-
 gantibus pœnæ nomine infligenda est:
 nam victor, qui etiamsi pejeret, jus
 tamen sibi dicere creditur 21.), do-
 lum, culpamve Adversarii ex propriæ
 conscientiæ suspecto alioquin testimo-
 nio inducere non potest, nisi aliunde
 de temeritate litigandi constet. Ju-
 ramentum calumniæ, quod ante de-
 lationem præstatur, purgat quidem
 a suspitione doli, non autem a su-
 spitione culpæ, quo pertinet teme-
 ritas litigandi. Consequenter præsta-
 tio juramenti delati, nec probat bo-
 nam causam jurantis, qui etiamsi pe-
 jeret, tamen absolvitur; nec infert
 malam causam deferentis: nisi igitur a-
 liunde

21.) L. i. pr. ff. quar. rer. actio non da-
 tur. *Jusjurandum vicem rei judicata ob-
 tinet, non immerito: cum ipse quis Ju-
 dicem Adversarium suum de causa sua
 fecerit, deferendo ei jusjurandum.*

si unde de temeritate litigandi constet, neuter poterit alteri condemnari in expensas. Fortius urgent aliqui, quia Jusjurandum] speciem transactionis continet 22.), & pactum seu conventionem 23.): quæ non tantum rem petitam, sed etiam totam causam continere videtur, ita ut deferens juramentum velit in se suscipere totius causæ damna, si alter juraverit. Hanc autem transigentium mentem esse, nemo facile sibi persuadebit: sufficit igitur juranti, si rem principalem obtineat, & ab onere probandi liberetur: de Expensis ex aliis principiis judicari debet.

§. 440. Paulo aliter discurrendum *Vel a Ju-*
de eo, cui *necessarium*, quod vocant, *dice?*
jusjurandum supplendæ probationis gratia delatum a Judice, litis victoriam ademerit. Nam qui dubiæ probationis fidem jubente Judice complet, habet pro se veritatis præsumptionem, quæ jurisjurandi oblationi causam dedit (prærequiri semiplenam probationem alibi diximus Tit. XXIX.

N n §.

22.) L. 2. ff. de jurejur.

23.) L. 25. Ibid.

§. 400.) hæc autem veritatis præsumptio jurando non extinguitur. Cum igitur hoc juramentum suppletorium præsumat bonam causam jurantis, facile Adversarius in Expensas condemnari poterit, si non ostendat probabilem litigandi causam. Econtra qui delatum a parte juramentum præstat, pro se non habet præsumptionem bonæ causæ, nec deferentem doli aut culpæ arguit, quia præstito juramento non curatur, an bene juraverit, sed tantum an juraverit 24.).

An expensarum mentio facienda sit in sententia?

§. 441. Supra dictum, quod in plerisque tribunalibus victum ab Expensis excuset probabilis causa litigandi: hoc tamen solummodo procedit, quando expensæ petuntur ex officio Judicis, non autem, quando petuntur jure actionis, forte ex stipulatu, vel ex obligatione in forma Camere 25.). Extra talem obligationem justitiæ,

24.) ANT. FABER in Cod. lib. 4. tit. 1. def. 1. Item de Errorib. Pragm. Decad. 19. Error. 6. & 7.

25.) Per obligationem in forma Camere intelligitur formula quædam, ex multis juridicis cautionibus diuturno usu Romanæ curiæ composita, quæ contractuum instrumentis adjuncta, facit, ut

stitiæ, condemnatio in Expensas passim sententiæ inseritur, etiamsi partes non petierint, quod observatur in Camera Imperiali 25.). In plurimis locis censent Judices se posse, non autem teneri de Expensis pronuntiare, si partes non petant saltem tacite per clausulas salutares. Non opus est, ut Judex super expensis ferat sententiam sub certa & determinata quantitate, sed sufficit sub incerta & indeterminata proferri: victor expensas designat, Judex taxat & moderatur: victor demum super his designatis & moderatis juramentum præstat. Talis moderatio non habet locum in Expensis specificè judicialibus, quia in his habetur taxa statuta. Si Judex abstrahit ab Expensis, hæ censentur compensatæ 27.): tunc obtinet regula,

N n 2

gula,

cessatores per judicem facilius cogi possint ad complendum promissa. Inter has cautiones est etiam de summa debita, una cum damnis, expensis, & interesse realiter, plenarie & integre præstanda &c. ANTONIUS MASSA GALLESIVS scripsit *Tractatum ad Formulam Cameræ obligationis.*

26.) MYNSINGER Cent. 4. observ. 55.

27.) Si hac ratione pars una se gravatam credit in Bavaria, datur locus Appella-

gula, quod ille, cujus gratia & comodo celebratur actus judicialis, solvat etiam expensas illius actus: si actus fiat utriusque gratia vel petitione, solvit quilibet pro dimidia parte. In quibusdam locis omnes Expensas solvit is, qui petit publicationem sententiæ: huic dein datur regressus ad reficiendas Expensas contra Adversarium, si iste ad illas condemnatus deprehendatur in sententia. Hac ratione sæpe victor fert solus omnes Expensas, quando Adversarius non est solvendo; vel reparationem Expensarum debet novo & pretioso Processu impetrare.

TITULUS XXXIII. DE APPELLATIONIBUS.

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 28. & 29.
In Sext. Tit. 15. in Clement,
Tit. 12.*

§. 442.

Appella- **V**ARIA sunt remedia, quæ executionem Sententiæ impediunt, vel
re su-

tioni: imo etiam si appellans de omni in sententia Expensis expresse non conqueratur, Judex tamen Appellationis earum rationem debet habere.